



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro secundo Decretalium : In Quo Ordo Judiciarius, Et Qvæ Ad Judicia Pertinent, Secundùm Utrumque Jus, Canonicum, & Civile Methodicè Tractantur, & Exponuntur ; Additus Est, Præter Synopticum Et Methodicum, Alius Index Alphabeticus A Pluribus Desideratus

Pirhing, Ehrenreich

Dilingæ, 1675

Titulus. XXIX. De Clericis peregrinantibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98191](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98191)

nico, quod ei non contradicit, sed potius expresse approbat Jus Civile in hoc cap. *Abb. hic not. 2. Alexand. num. 3.*

Ceterum relatio fieri debet, non post, sed ante sententiam definitivam. *l. 1. in princ. C. de Relation. exceptis causis criminalibus, in quibus prius fertur sententia; ut demum Princeps iudicet, an eam sequi oporteat. l. Inter pœnas; 6. §. 1. ff. de Interdict. & relegat. Durand. cit. loc. §. 3. Wesenbec. cit. loc. num. 12.*

CCLXXXII. Assertio 3. Effectus relationis est, quod, sicut per appellationem, ita & per relationem suspenditur Jurisdictio Judicis inferioris: nam, si Judex, causam referendam esse, decrevit, ex eo tempore Jurisdictio eius quiescit, seu suspensa est, ita, ut eâ pendente, nihil innovari, seu attentari debeat, nec de causâ meritis inquiri, donec Superior consultatur, vel eius Successor (relatio enim, seu consultatio ad Superiorem dirigitur, ratione dignitatis, quæ transit ad Successorem) responsum dederit; prout

habetur in *l. Ex illo; 13. C. h. r. & in cap. Licet; 5. de offic. legat. Durand. cit. loc. §. ult. Hostiens. in Summ. hoc tit. Rubric. de relation. num. 3.* Porro, quod dictum est, ab eo tempore, quo Judex promisit, vel decrevit, causam instructam referre ad Principem, suspensam esse illius Jurisdictionem, ita, ut non possit procedere, vel immutare aliquid, aliâs irritum id futurum: hoc tum demum procedit, si partes approbârint relationem: sed cum partium consensu Judex causam reassumere posset, eamque iterum cognoscere, ante factam relationem; ut docet *Glos. in cit. cap. Licet. V. Transulerat. Arg. l. 2. C. de relat. Durand. cit. loc.* Veruntamen, postquam relatio, seu causa instructa Principi est præsentata, tum neque cum partium consensu Judicis cognoscere, aut quidpiam immutare concessum est, ne illudatur Principi; ut colligitur ex *cap. Bonæ; 4. de postulat. Prælat. Abb. in cit. cap. Licet; num. 3.*

T I T V L V S XXIX.

DE CLERICIS PEREGRINANTIBVS.

Quia peregrinantes, seu proficiscentes ad Sedem Apostolicam, vulgò Romipetæ dicti, gaudent privilegio appellantium, quorum instar sub eiusdem Sedis protectione esse censentur; ideo post Titulum de appellationibus subjicitur iste de peregrinantibus.

I.

DER peregrinantes hoc loco intelliguntur ij specialiter, qui ad Sedem Apostolicam proficiscentur, sive ex causa peregrinationis ad Limina Apostolorum, sive etiam, qui ex alia causa necessaria, vel probabili accedunt ad S. Pontificem; ut tradit *Innocentius in cap. Ut debitus; 59. num. 2. de appellat. & Abb. in cap. unic. hoc tit. num. 2. & 4. & Alexand. num. 10.* Quamvis autem Rubrica huius Tituli inscribatur: De Clericis peregrinantibus: sicut & casus in illo propositus est de Clerico peregrinante Romam; tamen quod in eo statutum est, etiam locum habet in aliis peregrinantibus ad Sedem Apostolicam, etiam Laicis; quia ratio huius dispositionis, seu Constitutionis est generalis, & in Laicis etiam locum habet, quod videlicet proficiscentes ad Papam, sive Sedem Apostolicam sub eiusdem protectione esse censentur. *Abb. in rubr. huius Tit. & alii DD. communiter.*

Tomus II.

II. Jam ergo in *cap. Referente unic. hoc titulo* statuitur, ut, qui proficiscentur ad Sedem Apostolicam, ipsi cum suis rebus sint constituti sub eiusdem protectione, & si quid, durante itinere, eis ablatum fuerit, illis restituendum sit; quia contra peregrinantes ad sedem Apostolicam nihil est innovandum: Nam, cum quidam Presbyter ad Romanum Pontificem iter instituisset, aliqui res ipsius diriperunt: (ut habetur in integra lectione huius cap.) re delatâ ad Papam Cælestinum III. is respondit: licet Presbyter iste, quando ad Romanum Pontificem accessit, res suas, & Ecclesiæ suæ sub eiusdem protectione non posuerit (verbis scilicet expressis, ipso facto tamen id expressit, quod plus est, *Gl. hic V. Non posuerit*) quia tamen illi, qui ad Papam accedunt, interim, cum rebus suis, debent esse sub Apostolica protectione securi: ideo mandat idem Pontifex, ut, quidquid dicto Presbytero, post iter arreptum ad Papam, sub-

Q o o o

sub-

» subtractum, vel ablatum fuerit, mox ipsi restituatur. Ex quo patet, quòd sicut per remedium attentati omnia, quæ post appellationem interpositam, sunt mutata, vel ablata debent revocari, & restitui, ita etiam per remedium huius cap. post iter arreptum, omnia immutata, vel ablata restitui debent; quia peregrinantes ad Romanum Pontificem sunt constituti sub protectione Sedis Apostolicæ, sicut appellantes sunt sub protectione Papæ, vel Superioris, ad quem appellarunt.

III. Extenditur autem decisio huius cap. ut intelligi debeat, non tantum de iis, quæ de facto peregrinanti ad Sedem Apostolicam auferuntur, sed etiam de iis, quæ in Iudicio per processum, & sententiam Iudicis auferuntur: nam, si quis ad Romanum Pontificem, seu Sedem Apostolicam iter instituit, nullo relicto bonorum suorum defensore, vel procuratore, & postea sive ipso facto per privatum, sive etiam per Iudicem aliquid ei auferatur; quia nimirum Iudex contra absentem procedit, saltem ad immisionem in bona ipsius petitam ex primo decreto, seu custodia causâ; ut tradit *Glos. in cap. Consultationibus; 10. V. Restitutionem; de offic. deleg. attentata tamen, sive extra, sive intra Iudicium, revocari debent, ita, ut processus per Iudicem factus, etsi alioquin iustus, ipso Jure non valeat, nisi accedens ad Papam citatione fuerit præventus, ut post Innocent. cit. loc. num. 2. & Hostiens. docet Alexand. hic num. 10. & 12. contra Abbat. ibid. num. 6. & 7. Idque probatur ex hoc cap. ubi statuitur: ideo nihil esse attentandum contra proficiscentes ad Papam; quia ipsi cum rebus suis debent esse sub Sedis Apostolicæ protectione securi: atqui hæc ratio habet locum, si ve attentetur aliquid contra eos, intra, sive extra Iudicium: ergo neutro modo aliquid contra eos attentari debet: alioquin revocandum erit, & restituendum, quidquid eis fuerit ablatum, sive ipso facto, sive per Iudicem. Neque obstat, quòd in *cit. cap. unie. h. 1. sermo sit de Presbytero, cui post iter arreptum ad Pontificem, aliqui res suas subtrahere, & auferre præsumperunt. Nam, si ratio, seu causâ decisionis sit generalis, ea non restringitur per casum, qui de facto fuit propositus Papæ, vel Principi, sed is accommodatè ad casum respondet, non decisionem limitandi causâ, sed exempli gratiâ: exempla autem non restringunt regulam; ut alibi dictum.**

IV. Ceterum circa spoliationem, aut turbationem proficiscentium Romam, quædam præterea notanda sunt. Primum, quòd ij, qui Romipetas, & peregrinos Apostolorum Limina visitantes ca-

piunt, vel spoliant rebus, quas secum ferunt, & communicationem incurunt. *cap. Si quis; 23. can. de qua Censura Excommunicationis nona fertur contra omnes, qui accedentes ad Romanam Sedem, vel ad Sedem Apostolicam, si Pontifex cuiusque Curia fuerit extra Romam existeret. Suar. dis. 21. de censur. p. 2. n. 65.)* vel ab ea recedentes, suâ, vel aliorum operibus interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, decimas interficientes, mutilantes, vulnerantes, decimantes, capientes, seu depradantes Romipetas, seu peregrinos ad Urbem, causâ devotionis, seu (quod idem est) peregrinationis, accedentes, & in ea morantes, vel ab ipsa recedentes. Ubi illud advertendum, quòd Excommunicatio nona loquitur de eo, qui ad Romanum Pontificem, vel Sedem Apostolicam eunt, vel inde revertuntur, propter causam aliquam, seu negotium expediendum: decima vero de iis, qui peregrinationis, seu devotionis causâ Romam eunt, inter quas Excommunicationes, hoc est decimales, quòd posterior solum pertineat ad eos, qui peregrinationis, seu devotionis causâ Romam tendunt, sed etiam, dum in Urbe morantur: prior vero communicatione non pertinet ad omnes, qui Romam tendunt, sed solum ad eos, qui accedunt ad Romanam, seu Apostolicam Sedem, vel ab ea recedunt, item, dum ibi morantur. *Suar. c. l. n. 67. Admittitur posteriore excommunicatione: & in his dicitur: Excommunicatio, consilium, & favorem, quæ clausula in parte est omissa.*

Notandum secundò. Contra eos, qui peregrinantium, seu absentium possessiones turbant, vel occupant, propinqui eorum, item parentes, amici, & servi agere possunt in Iudicio, ut restituatur possessio, etiam sine mandato, dummodo caveantur: prout habetur in *l. unic. C. Si per vim, vel alio modo &c. & tradit Glos. fin. in *cit. cap. un. h. 1.**

Notandum tertio. Talis peregrinatio, seu profectio ad Sedem Apostolicam habet vim appellationis, ita, ut nec Iudex Ordinarius, nec delegatus contra ipsum procedere post iter arreptum, & quid postea fuerit attentatum contra illum, debet revocari: textus enim in *cit. cap. unie. h. 1. generaliter loquitur, nempe quòd talis cum omnibus rebus suis, sit sub protectione Apostolicâ: & consequenter interrim exemptus à Jurisdictione sui Iudicis: licet per appellationem interim eximitur appellans à Jurisdictione Iudicis, à quo. Alexand. hic*

num. 12.

